

B. N. C.

FIRENZE

1035

35



A)

Al. 1.

AD SANCTISS. D. N. Al. 1.
CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

ORATIO

HABITA A LAELIO PEREGRINO
IN PVBLICO CONSISTORIO

*Cum Illustriss. & Excell. VIR STANISLAVS MINSKY
PALATINVS LENCICIENSIS AC SIGISMVNDI III.
Polonorum & Suecorum Regis Orator,*

EIDEM SANCTISS. D. IN AVLA REGVM
Legationibus excipiendis destinata Regis sui nomine obe-
dientiam præstaret vi. Kal. Feb. M. D. XCIV.

*SYLVII ANTONIANI S. D. N. CVBICVLI
Præfecti, & Secretarij Apostolici, responsio
eiusdem Sanctiss. D. iussu reddita.*

1035.35



R O M A E,

AD SANCTI. P. M.

CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

ORATIO

IN AULA SACRAE THEOLOGICAE

UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS



P. M. S. R.

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

ALMAE MATRIS UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

2

PETRO ALDOBRANDINO
CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. FRATRIS ILLI
S. R. E. DIACONO CARDINALI.

LAELIVS PEREGRINVS. 3. D.

STANISLAVS Minsky, Palatinus Lenciciensis ac ST-
GISMVNDI III. Polonorum atq; Suecorū Regis inui-
ctissimi, apud Sanctissimū D. N. CLEMENTEM VIII.
patruum tuum Orator, cum reddenda Regis sui nomine obe-
dientia, pluribus esset agendum, volui mea in dicendo vi ope-
ra, etsi vir eloquentissimus huic muneri cumulatius rideretur
per se satisfactorius, si rem aggredi voluisset. quod ab eo decli-
natum censeo, non quasi inferius dignitate Regy Oratoris, sed vi consilio mode-
stie pleno, à laude per alios Regam legator, homines militares, minime quæsta,
abstineret, seu Alexandro forte ad imitationem proposito, qui certam in Olympi-
co stadio victoriam pollicentibus ob pernicitatem pedum, ac ad decurrendum hor-
tantibus, prudenter respondit, se id facturum, si Reges habiturus esset cōcertatores.
Mibi igitur onus eiusmodi fuit subeundum, non sine magna animi voluptate, quod
apud PONTIFICEM MAXIMUM erga me optime animatum de
Regis maximi summo in eum studio dicendum, quod amplissimo inter Polonorum
Proceres primarij ordinis Senatori, belli pacisq; artibus inelyto, operam nauandi
ocasio præberetur, cuius vi civilem in sublimi statu animum Vrbs est admirata,
sic in summa ornata Orationis copia alienum à captanda facundia laude ingenij
magnopere commendavit, ac ex eo de reliqua Polonorum nobilitatis virtute atq;
modestia iudicium fecit. Ut autem vel muneri satisfecerim, vel expectationi,
aliorum esto iudicium, 'iucij; inprimis' Cardinalis Amplissime, qui omnium bo-
narum artium ornamentis excultus, auitam eloquentiam studiosè tueris, Sylue-
stro auo haud inferior futurus. Me certe mea nunquam delectarunt, vbi præ-
fertim alienis vel oculos vel aures accommodaui. Quare cum præsens Oratio
typis excepta, esset in Poloniam transmittenda, visum se, pro tua humanitate, vo-
luisse

ANNIENIE, PETRI ALDOBRANDINI CARDINALIS

nomen ei proponere, ut si minus per se grata, at certe splendore, quem à te
 accipiet, spectata, prodiret in publicum. Amat enim Polonia, & vnice ve-
 neratur nomen Aldobrandinorum. CLEMENTI VIII. patruo tuo
 salutem se debere, per me publice professus est. CYNTHIAM Cardina-
 lem amicum tuum, in familiam adscitum, & vidit, & à moribus suauissimis,
 ac admirabili lenitate, prudentia, eruditione mirifice laudauit. De te idpsum
 sentiunt, tum qui Romam inde ad summi Pontificis pedes confluunt, tum qui è
 longinqua famant virtutum tuarum à suis acceperunt. Ut enim hi etanos in iuue-
 nili atate sensus, omnibusq; virtutibus exaggeratum animum depræbenderunt,
 ita qui absunt, à suis edocti, te quasi nouum & splendidissimum Romanæ aulæ
 ac Dei Ecclesiæ lumen, venerantur. Patere igitur Cardinalis Amplissime, tuo
 ductu orationem nostram tam longinquum iter suscipere, ac me auctoritate tua
 ita protectum velis, ut omnes intelligant liuerarids labores meos, ut CLE-
 MENTI VIII. graui hæctenus fuisse, ita tibi, qui sanguine illi coniu-
 ctissimus, & ingenio simillimus existis, non esse iniucundos. Vale.

. 6 . 5 . 2 V I R I D E N V S ?



[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through or ghosting.]



ADEST Beatissime Pater à Serenissimo Potentissimoq; Polonorum atque Suecorum Rege SIGISMUNDO III. ad te orator destinatus, in publica obedientię professione summum Pontificatum gratulaturus, qui etsi expectatione serius aduenit, pluribus tamen hoc loco minime censet immorandum exultationi tarditatis; tum quod Polonorum rebus tot tantaq; nuper sese transuersas opposuere difficultates, vt earum enumeratio longior sit atq; molestior futura, tum quod eas magna tibi ex parte per Regium Internuncium expositas repetere, videatur superuacaneum. Quod si quantum lætitiæ SIGISMUNDO REGI tuus attulit Pontificatus, tantum commoditatis ad eam solemnī legatione restandam tempora dedissent, ingenti quamuis locorum spatio disunctus, nulli Christianorum Principum eius officij exhibendi cœteritate fuisset concessurus. id enim tua in Regem nostrū promerita, id illū inter & amplissimos Principes arctissima olim necessitudine coniunctos, post iniquitate temporum alienatos per te reconciliata gratia, id Polonorum Regno tranquillitas à domesticis, securitas ab externis, salus domi, dignitas foris tui vnus industria parta, id opulenta pace ijsdem firmanda tibi suscepti hausti; labores postulabant, vt quemadmodum præter ceteros christianos Principes vnus Rex noster peculiari quodā amoris, obligationis, necessitudinis vinculo tibi esset obstrictus, ita ad sanctissimos istos pedes osculandos, ad Regni vires offerendas, ad fidem, operam, obediētiam pollicendam eius Orator aliorum studia anteuertisset. Quod cum ille sui muneris esse intelligeret, vbi primum de Pontificatu tuo auditum est, hominem spectatę fidei, sibi; à lecretis, præclara cum suę voluntatis testificatione; magnis itineribus priuatim ad te cõtendere iussit. impedimentis vero sublatis, quę maiora Regni negotia, ac in primis hanc solemnī legationis celebritatem morabantur nihil habuit antiquius quã ē primarijs Senatoribus virum sum-

mo loco natum, Stanislaum Minchy Palatinum Lencic iensem ad te legare, ac se regnumq; suū debiti huius obligatione exolvere, quod enim antea priuatim exhibuerat, à Sigismūdo, quod nunc publicè defert, à Rege deberi censebat. Verum diuino id plane consilio factum videtur, vt cum Suecorum, Gothorum, Vuandalorum valida & vetusta Regna successionis iure ad Regem nostrum nuper deuenerint, moram dilatae in hanc diem obediētiae tam insigni accessione cōpensaret, ac vna legatione horum quoq; Regnorum fasces sanctissimis istis pedibus subijceret, ad quos maxime cuperet mortales omnes aspiceret prouolutos. Ita enim sentit, quæ Regna Christi Vicarium, Petri successorem, summum Ecclesiae Pastorem Romanum Pontificem non agnoscunt, nec ab eo fidei, atq; morum leges accipiunt, salutem & dignitatem non magis integram consequi, quàm membris à reliquo corpore auulsis, ac vni capitis, motū videlicet atque sensum, haud excipientibus pristinae vires constare possint. Ita verò Rex noster sentit sub piæ Matris disciplina ad Orthodoxæ Fidei normam educatus, satis etiam amplis Doctoribus instructus Poloniae Regibus maioribus suis. Serenissima enim Catharina mater Catholicis à primo Iagellone fata maioribus, pietatem, instar necessariæ cuiusdam hæreditatis, nedum sibi retinuit, sed ad liberos quoque transmisit, ac Sigismundum filium ita instituit, vt qui à Romano Pontifice palci, moneri, corrigi recusaret, eum ab ouili domini longius aberrare, ac Deum ipsum, qui suas illi vices in hoc orbe commisit, contemnere existimaret. Quare id vnum Rex noster inter oues mala gramina pastas diu versatus, enixe curauit, ne se hæretica peste sineret infici, sed incorruptam B. Petri fidem per manus à maioribus traditā integre seruaret, & quod fabulosè proditum de amne quodam, ferri per maris vndas, aquis impmixtis, dulcore custodito, nulla humoris ambientis contracta falsedine, id vere in se ipso exprimeret, ac inter illas maiori ex parte hæretico veneno afflatas gentes vitæ cursum ea ratione institueret, vt ab impiorum vicinitate nulla concepta macula, se ipsum quasi dulcibus sanæ doctrinae aquis fluentem riuum populis Borealibus exhiberet. Regum verò Polonorum tantus fidei retinendæ & amplificandæ ardor, tanta in Romanos

Pontifi-

Pontifices exstitit reuerentia, vt quo maius firmæ voluntatis argumentum præberi non poterat, pro fusione sanguinis ita fe animatos non semel fuerint professi. Mecislaus ille, qui reiecto Idolorum cultu, primus Euangelio Poloniam aperuit, eius animi suos esse voluit, sanxitq; vt Poloni, dum inter sacrificia recitaretur Euangelium, gladios ad medium euaginos capulo tenerent, ac ea cæremonia testarètur, se pro fidei defensione & propagacione ad mortem certaturos. Quod ille publico ritu instituit, etiã factò docuit, & probarunt posteriores. vnius enim Euangelij in vltiores terras inferendi studio ita cum ferocissimis nationibus bella susceperunt, ac feliciter profigarunt, ita barbaras atq; sça superstitione illigatas gentes Christo aduixerunt, vt nemo non diceret Polonos bello inuictos, militaris gloriæ, & immortalis famæ natura auidos, ex illis tamen celeberrimis, nec sine multo sanguine partis victorijs, nihil præter diuini cultus splendorem, & fidei incrementum quæsiisse. Debellata enim Cimbrica Chersoneso, & adiacente Baltici Maris ora in potestatem redacta, domitis Pomeranis, Prussis, Valacchis, alijsq; non paucis, id vnum victoriæ iure victis imperatum, abiectò fœdo Idola colendi ritui ad castiores se cæremonias & Christiana sacra traducerent, in reliquis, recepta libertate, suis legibus viuerent, proprijs Magistratibus vterentur. O Reges verè Christianos, abiecta omni regnandi libidine in vnius Christi Domini obsequium mancipatos. O singulare studium Religionis nulla humanorum commodorum cupitate corruptum. Hic ego, si aues æmulatus, quas innata leuitas agit ad sidera per Polorum Regum laudes quasi aperto & sublimi Cælo inuehi velim & quæ illi facinora laudis & gloriæ plena ediderunt, cõsectari, si Barbarorum cęsas myriades innumeras, si Illyricum & Macedoniam armis peragratam, ac Turcarum Principem pacē orare coactum, si ad internecionē deletos Tartarorum immanes exercitus, aliaq; his maiora explicata bellicæ virtutis exempla referre tentauerim, nullum in ea spatij immensitate satis certum teneam cursum ac dies viresq; me deficiant, priusquam e tanto fortissimorum Regum numero, vel vnius Sigismūdi Primi palmas, felici quadraginta annorum decursu Poloniæ partas, oratione sum consequutus. In summos quoq; Pontifices ita perpetuo

petuo animati fūere Reges noſtri, vt ab eorum ore Chriſtum loquentē agnoſcerent, ac in eo vno maxime verti ſalutē dignitatē exiſtimationē ſuam arbitrarentur, ſi Romano Pōtifici obedirent. cuius mentis cum Vladislaus exiſteret eius nominis tertius, rebus cum Turca e Polonorum compendio compoſitis, iuſſus ab Eug. no IV. arma reſumere, quod ita Chriſtianæ Reipub. expediret, paruit, ac ſe regnumq; ſuum in incertam belli eruentiſſimi aleā coniecit, ne ſanctæ Sedi vlla non in re per Polonorum Reges fuiſſet obtemperatum. Vladislaus quoq; hoc antiquior alius opulentum Boemiæ Regnum vltro oblatum reſpuit quod Huſſitana hæreſi corruptum à Summo Pontifice, ac per illum à Chriſto defeciſſet, indomitamq; armis gentem, quā vectigalem habere poterat, maluit experiri hoſtilem, quo ſe Petri ſucceſſori omnibus animi ſenſibus iunctum confirmaret. Verum quid antiqua proſequor, ſi recentia ſunt ad manus, vuitq; in omnium memoria Stephanus Bathoreus victor triumphatorq; anguſtiſſimus cuius præclara extant in hanc ſanctam Sedem obſeruantix argumenta? Moſchum Poloniæ olim hoſtem acerbiffimum ita attriuerat, vt ſi paulo amplius inſtituiſſet bello, nihil in poſterum ab eo metuendum videretur. Ceterū Gregorio XIII. certis de cauſis, vt arma poneret, & pacem faceret eſſagitante, e medio victoriæ curſu ſuorum impetum reuocauit, non ſine magna indignatione militum quærentium, eripi ſibi victoriæ, quam ſinu continerent, fructus, adeoq; ſe inhumaniter tractari, vt qui ſiti enecti, vbi paululum biberint, per ſummam iniuriam vi auelluntur ab aquis. His maiorum exemplis, hac pia educatione, ſuoſte etiam ingenio Rex noſter impuſſus, ſtatuit non eſſe egrediendum terminis, quos Romana Eccleſia omnium mater Eccleſiarum designarit. quam porrò mentem cum erga omnes Romanos Pontifices, quos diuina bonitas dediſſet, erat retenturus, tum maxime in te vno Poloniæ quietis fundatore colendo obſeruandoq; intelligit ſe totū debere eſſe deſixum. Ad locum veni. P. B. valde lubricum, qui ſine aliqua moderatiſſimi ac vere ſacri animi tui moleſtia vix leuiter tangi, ne dum altius premi poteſt. dum enim cauſas refero peculiariſ a Sigis mundo Rege in te ſtudij, non poſſum non pauca inferere de laudibus tuis, quas non, vt plerique pa-

5
tulis auribus excipis . Sed inferuendum causæ , indulgendum tempori , parendum veritati , quæ vbi conspirant , viros excelsio animo præditos meritorum suorum præconia auersari non debere Sapientes senserunt . Reuoca igitur in mentem res in Polonia , cum SIXTI V . ac Sanctæ Sedis Apostolicæ de latere Legatum Cardinalis ageres , à te gestas . frueretantisper cogitatione meritorum tuorum . vtere fama tui . & qui fructus aliorum labores vix post mortem consequuntur , hos tu vigente adhuc ætate vberes & maturos Collige . Poloniam à domesticis diffidijs & externis impetitionibus pacaturus , aduentastire non integra , cum fuisset de summa rerum totis viribus certatū , & multum humani cruoris effusum . madebat terra Christiano sanguine . acies vtrunque dispositæ ad repetendam pugnam , vlturæ suorum neces . totis interiacentibus campis horribili aspectu hominum iumentorumq; cadauera viscebantur suo vel alieno sanguine inuoluta . hic fratrem intuebatur exanimem , ille filium , alius genitorem desiderabat , alius cognatione iunctum vel amicum ; omnes vero par vltionis libido , idem animi impetus agebat in præceps . Iam classicum denuo personabat ad pugnam , iam gladios distinxerant , cum tu quasi Dei nuncius e Cælo delapsus , isto humanitatis , grauitatis , moderationis pleno aspectu tuo , quem constans prudentiæ & Sanctimonix fama præcesserat , tantam exacerbatis ad vindictam animis iniecisti reuerentiam , vt omni peruitacia deposita gladios condiderint , ecquid interim iuberet , quibus conditionibus controversias componendas censeret expectaturi . Sequuta est disceptatio ardua , anceps , periculosa . nodi incurrebant Gordiano implicatiores , quos non expediret ferro dissolui . actum de pace apud homines , vt regnorum arcana postulant , vbi præsertim de summa rerum agitur , cunctatores atque difficiles . tua vero tanta in consultando vis existit atque copia , tanta in deliberando prudentia , tanta dexteritas in agendo , vt facile omnes in tuam venerint sententiam , (sentiebas vero quod partibus tutum & honorificum , quod Christianæ Reipub. esset salutare ,) tâta enituit ingenij tui præstantia , tanta suauitas & integritas morum , tanta dictorum constantia , tantum studium æqui & boni , vt etiam qui de Romana Ecclesia male sentirent , rem omnem , de qua agebatur ,

agebatur, atque adeo ipsum caput rerum arbitrio tuo permiserint, rati id, quod erat, vocante ac præeunte diuino numine in Poloniam venisse te pacis sequestrem, ac nihil non e partium commodo & dignitate moliturum. neque vero huic egregiæ voluntati de cælo defuit testimonium, quò aduentus tuus feliciter cessurus confirmaretur. ad primû enim tuum cum Sigismundo Rege in patentibus Cracouiæ campis congressum, binè repente Stellæ circa Solem micuere, vt nemo non intelligeret, nouam Germaniæ Poloniæq; lucem aduenisse, qua suspicionû, irarum, liuorum caligine discussa litigantium mentes essent illustrandæ. ita discordium animorum conciliator factus, assertor pacis, restitutor publice quietis, nites Polonorum oculis radio clariore, quam Sol diu nubibus obductus, mortalibus tandem gratus optatusq; illucescat. Tu enim ò sacrum Caput, superis hominibusq; carissimû, animos offensionibus grauissimis exulceratos, ad maiora in dies mala erupturos, molliuisti atq; sanasti: tu Christianæ Reipub. aggerem Turcis, Tartaris, Barbaris immanissimis oppositum, per cuniculos Dæmonis arte lubricû, protinus collapsurum, Deo vires præbente, tulciuisti. tu murû illum Septentrionalem communi hominum hoste quatiente vasto hiatu apertum atq; disunctum instaurasti, murum in quâ non lapidibus atque cæmentis ædificatum, quasi Examilum Isthmi Peloponnisiaci, sed fortissimis Polonorû pectoribus extructum atque firmatum, tu restitutor amicitia, artifex concordia, liberator Poloniæ, parens communis boni merito conclamaris, ac eæ in te vnum laudes cõgeruntur, quas humana mortalitas mortali hominî beneficentiæ & virtutis ergo tribuere potest. Felicissimus ille dies qui te Pontificè aperuit, in fastos aurca nota referendus, quando ad optatissimum nuncium per vias effusi Poloni sibi mutuò, ac Reipubl. Christianæ summum bonum sunt gratulati, templisq; confertim aditis, Deo immortali bonorum omnium largitori summa exultatione grates egerunt. quò enim pacto non gauderent summum Pontificem renunciatum, quem adeo cupide Polonorum dignitati fauentem vidissent? O Pater Beatissime, optasset Polonia posse reuelli e solo suo, vt te in Petri sedentem solio, ac iura dantem populis præsens veneraretur. vellet Sigismundus Rex ad genu tibi acci-

cidere,

cidere, pedes osculari, ac demum in paternos amplexus ruere, repetita memoria antiquæ voluptatis. Sed quando illam naturam, hunc regnorum rationes impediunt ab itinere, en omnium vice ad te transmissus Orator in genua procumbit, ac SIGISMUNDI III. Polonorum Suecorumque Regis inuictissimi, ac utriusque illius Regni nomine perpetuam tibi obedientiam atque subiectionem defert. Te unicum Christi Vicarium, te summum Religionis Antistitem, te pastorem omnium Pastorem & correctorem, te diuinarum legum custodem veneratur & adoratur. per hunc Oratorem Sigismundus Rex ita se totum auctoritati tue committit, ut præ Sedis Apostolicæ dignitate, vilem sibi vitam fore pollicetur. Poloniæ Regnum P. B. magna tibi existit seges laudis, ampla pariendæ alendæque gloriæ materia, ingens apud Deum & homines occasio meritorum. Regnum istud à te pacatum se accepisse Rex noster palam fatetur. Perge igitur tueri Regem, qui ne de regno concordibus populorum suffragijs delato contenderet armis, gratia, consilio, auctoritate perfecisti. Perge promouere Regnum, quod in remotissimis partibus situm, truculentissimis hostibus obiectum, vallum se Christiani Orbis aduersum incursus Barbarorum constituit, eaque appellatione, fumosis titulis contemptis, vnice gloriatur. Perge fouere gentem exploratam in hanc sanctam Sedem fidei, cuius salus ab vniuersæ Christianæ Reipublice salute seiungi non potest. Id te pro tua singulari pietate, ac erga Poloniam caritate, pastoralique in omnes solitudine præstiturum Rex noster confidit, & vicissim efficiet, ut in ea, quam ad præsens per Oratorem suum exhibet, obedientia, integra fide, ac incorrupta pietate ad extremum usque spiritum perseueret.

D I X I.

SYLVII ANTONIANI
SANCTISS. D. N. CLEMENTIS VIII.
CUBICVLI PRAEFECTI
ET SECRETARII APOSTOLICI,

Responsio iussu eiusdem Sanctiss. D. ad praecedentem Orationem reddita.



NOBILIS Orator. Quod sacris Scripturis traditum est, filium sapientem lætificare patrem suum, id re ipsa probat SANCTISS. D. N. in filio suo carissimo SIGISMUNDO Poloniae, & Sueciae Rege. vere enim lætitia repletur paternus eius animus, dum videt Regē ætate, & summis ornamentis florentem, sapientia excellere, hoc est timore Dñi Sancto, & diuinæ gratiæ zelo, quem & aliàs sæpe, & nuper maxime declarauit, in Regni Sueciae hæreditaria aditione, litteris ad S. D. N. statim scriptis, quibus grauiissime testatus est nihil sibi antiquius, nihil esse optatius, quā Catholicam Religionem in Regno illo restituere. quod sane magna Sanctitatis suæ, & huius amplissimi Ordinis comprobatione acceptū est. & hodierna quoq; die suam erga Sanctā Apostolicā Sedem obseruatiam præclare ostendit Rex vester hac insigni legatione, qua per te clarum virum, & primariū Senatorem debitā Christi Vicario obedientiam, more maiorum ritū solēni proficetur. Et quidem S. D. N. notæ, & perspectæ iam pridē sunt Regij animi virtutes earū tamen cōmemoratione valde lætatur, nihil. n. amantissimo patri dulcius, quam sapientē filium laudari, quemadmodum, & illa iucunda fuere, quæ à vobis narrata sunt, de veterū Poloniae Regū pietate, religionis propagandæ studio, & Regni ipsius militari gloria. Nā Regnum illud, & nationē, non minus piā, quā fortē in intimo caritatis sinu gerit Sanctitas sua, singulariq; Dei benignitate factū esse existimat, vt duo illa Regna in ipso Rege iungerentur, eamq; rē difficillimo hoc tēpore Christianæ Reip. magnæ vtilitati fore sperat. Interea S. D. N. hęc Sigismūdi Poloniae & Sueciae Regis, pro vtroq; Regno obedientiā vna cū his Venerab. Fratrib. suis S. R. E. Cardinalibus, recipit, & Regi, ac Regni paterni affectu benedicēs, cęlestium bonorum copiā, & victoriam aduersus nominis Christiani hostes, à Deo precatur.



